

VIRO IVVENI  
GENEROSISSIMO ELEGANTER DOCTO  
IOANNI FRIDERICO DE KRVEGER  
S. P. D.  
P R A E S E S.

Egregium esse consilium, quod cepisti, in Academia patria ante specimen eruditionis edere, quam ex eadem plane abires, nemo dubitabit. Sed id ipsum multo magis egregium est, multoque laudabilius, quod, quum hinc iam abiisses, ex otio litterario domestico, quod per aliquot menses in patria urbe transegeras, reuertaris eo animo, ut cathedram academicam adscendas, simulque sollemni panegyri et patriis musis valedicas, et proferas specimen eruditionis, in hac nostra musarum sede undecunque collectae. Placuit enim TIBI, hac quoque in resimilem TE praestare LOEVENSTERNIO nostro, nostrum adpello, quia est utriusque nostrum carissimus. Nam quod is fecit abiens ex nostra ciuitate litteraria, reuertensque TECUM ad patrios lares, id TV iam inde rediens perficere studes, quod omnino conueniens esse intelligo aemulandi studio, quod semper in utroque VESTRVM et animaduerti, et admiratus sum, et insigniter laudau. Quum vero huius consilii exsequendi me quoque elegeris adiutorem, meque duce et comite pro cathedra academica de quaestione in hoc libello proposita certare volueris, variam mihi das et gratias TIBI agendi, et TIBI gratulandi occasionem. A gratiis quidem agendis exordiar, quibus nil dulcius potest, nihil iucundius esse humilitati. Debo autem gratias, easque et habeo maximas TIBI, pro singulari

TVO